

reamus, nihil ullam nobis ingerat difficultatem, cum resurrectione, & omnes, quæ ad eam pertinent, mutationes Divinæ sint opus potestatis. Cæterum unumquemque figuram, sexum, & staturam sibi propriam servaturum, verosimilius nos ducimus: necesse enim putamus, ut quisque eo ipso, quo vivens, statu iterum donetur; aliter eorum resurrectio, nova potius foret appellanda creatio, si ab eis, qui fuerant, alii resurgent.

De hominibus, quos barbari homines voraverint, difficultior solutio; iis enim, quos carnivora animalia absumperint, cum hæc non sint ad vitam revocanda, iterum restituatur, quod in eorumdem animalium nutritionem transmigraverat. Rabbini (s) in sæculorum exitu, & Messia temporali Regno florente animalia perfectiora, quam nunc, extitura, & eidem, quo ante Adæ lapsum fruebantur, statui restituenda putant. Licet verò minimè resurrectura velint, quæ obierint, nihilominus stat difficultas de iis saltem animalibus carnivoris, quæ, cum ante primam resurrectionem Iustorum carnes comederint, post eandem resurrectionem adhuc vitæ non exceiserint. Quid enim de Iustorum carnibus, quæ in eorumdem animalium substantiam transmigraverint? Qui huic favent opinioni, difficultatem solvant.

Nunc verò ei occurramus, quod de *Antropophagis*, seu hominum comestoribus obijciatur. Corpus, quod comestum fuerit, anne illi qui comederit, & in suam substantiam converterit, an ipsi comesto restituatur? S. Augustinus comesto restituendum non ambigit (t): *Reddetur caro illa homini, in quo esse caro humana primitus cepit.* Tam comestus quam comestor suæ uterque propriæ substantiæ restituatur.

Athenagoras idem sibi obijciens, sibi etiam respondet (u), humanam carnem, quod hominum congruum non sit nutrimentum, non posse idcirco ad eorum substantiam conferre, nec in eorumdem substantiam converti; adeoque, licet corpori

humano per cibum copuletur, vel per transpirationem dissipari, vel prolici per excrementa. Paulisper, addit, in corpore humano detinetur, neque in carnem convertitur; quare ejus, qui resurgit, corpus propriè constituere non potest. Nos verò, ne nostris Philosophis responsum hoc non ardeat, satis veremur. Caro utique humana ad ordinariam & naturalem hominis nutritionem non pertinet, quod Deus eandem hominibus interdixerit. Veruntamen, qui eam comedunt, eandem digerunt, & veluti cibos cæteros suum in succum convertunt: quam tempore, & modo, quo Deus voluerit, comestis restituent, ut ait Augustinus. Sapientia Dei erit nostrorum corporum materiam ita omnibus impertiri, ut & sui promissi veritas, & suorum operum venustas undequaque resurgat.

Hanc tandem dissertationem absolvamus. Veritatem ex præcipuis, quibus Catholica Religio Fidem adhibet, perspicuis Veteris & Novi Testamenti textibus, & Jesu Christi promissis innixam, Domini etiam, & cæterorum, quos ipse excitavit, resurrectione comprobata perpendimus. Quot nihilominus tenebris mysterium istud obvolvitur? Quando, quomodo, qua statura, qua ætate resurgemus? Hæc humana curiositate nequicquam sanè indagantur. In sæculorum exitu nos resurrecturos, semel tantum resurrectionem futuram, & momento, seu oculi ictu absolvendam, corpora demum Iustorum incorruptibilitate, & immortalitate donanda, certò scimus. At qualia reprobatorum corpora sint evasura? Quomodo immortalitas & incorruptibilitas cum pœnis innumeris, assiduisque suppliciis cohareant? Quomodo infantes, quo statu, qua statura resurgent? Quomodo monstra, & qui in matris utero decesserunt, reviviscunt? Hæc omnia sibi Dominus reservavit, nobisque ea tantum aperuit, quæ scire maximè expedit. Omnes nempe, & singulos homines resurrecturos, & ante Divini Judicis Tribunal constitutos fore, ut probi donentur premio, ut improbi mancipentur supplicio.

s Vide, si placet, Philonem de præm. & pæn. p. 924. & Semoth Rabba & Menasse Ben-Israel, l. 3. c. 6. p. 303.

t Aug. l. 22. de Civit. c. 19.

u Athenagor. l. de resurrect. mort.

**IN EPISTOLAM  
S. PAULI AD EPHESIOS  
PROLEGOMENON.**

**E**phesus, Asia Minoris Metropolis, Idololatriæ maximè dedita, cultui præsertim Dianæ, cui etiam celeberrimum Templum erexerat. Ephesios superstitiosos etiam fuisse & Magia quammaximè addictos esse constat, quod S. Paulus unâ die tot libros magicos flammis tradidisse dicitur (a), quot 50000. denariorum pretio constarent (b). Impudicitia & effrænis licentia totam Asiam, Ephesum præsertim, pervaserant.

S. Paulus anno Christi 54. primùm Ephesum venit (c), qui postquam Judæorum Synagoga de Evangelio dixisset, ut apud ipsos aliquandiu moraretur, postulatus, si Deo collibitum fuerit, se regressurum spondit. Aquilam & Priscillam, qui se domi suæ Corinthi exceperant, quique Ephesum usque comitati fuerant, in eâ Urbe reliquit. Paulò postquam Paulus inde discesserat, Judæus Alexandrinus, quem Apollinem appellabant (d), vir d'ferus, Scripturarum peritus, & licet solo Joannis baptisate initiatus, acer Fide Catholicæ propugnator, Ephesum venit, & prædicationi incubuit. Optimè ibidem ab Aquilâ & Priscillâ instructus, Corinthum contendit, ubi quod Paulus plantaverat, irrigavit (e).

Sub anni 54. exitum D. Paulus Ephesum reversus, triennio constitit (f). Disserimen est, an S. Joannes Evangelista. Apostolo prior eâ Fidem intulerit. S. Joannes Chrysothomus (g), & alii affirmant; Irenæus (h) verò, & Theodoretus (i), & quidem meliùs, negant, adduntque S. Paulum ei mori & hic instituisse, quo super fundamentum alienum construeretur recusabat, neque de Christo dicebat, nisi ad ea loca, quæ Christum penitus ignorarent (k). Ab Judæis & ab Ethnicis Paulus ibi plurima pertulit, sibi que tandem fugâ consulere coactus est, ut sese ei seditioni eriperet, quam aurifex Demetrius, qui consiciendis Dianæ ædiculis vitam transgebat, Ephesi excitaverat (l). In Græciam inde profectus, Corinthi aliquandiu constitit, donec eleemosynas in Græciâ, & Asiâ congregatas deferens, Jerusalem navigavit. In Templo ab Ju-

dæis interceptum Romanorum militum Præfectus Casaream misit: unde Romam traductus, biennio [m] in carcere detentus est, ubi hanc ad Ephesios Epistolam, anno circiter Christi 62. scripsisse putamus. Præterquamquod Paulus suorum vinculorum in eâ meminerit (n), ejusdem etiam in Græcis Exemplaribus subscriptiones Romæ exaratam præferunt.

Cùm verò bis in vincula consecutus fuerit, primùm Jerusalem comprehensus à Judæis, Neronis Imperantis anno septimo; secundo cùm Romam profectus, eodem Imperatore jubente, regni sui anno 12. detentus, & anno statim consequente Martyrio interemptus fuit: dissentunt idcirco Interpretes, cujus in hac Epistolâ carceris mentio facta sit. De prioribus vinculis Paulum loquum nonnulli autumant (o): in quam sententiam & nos idcirco propendimus, quod Apostolus suæ proximæ mortis non meminerit, imò Ephesios oraverit, ut sibi per preces liberè evulgandi Evangelii virtutem à Deo obtineant [p]; quo de suis sibi vinculis solvendis, deque Evangelio Gentibus annunciano se adhuc tunc sperasse, satis ostenditur: quod præterea hanc, sicuti & Epistolam ad Colossenses, per Diaconum Tychicum miserit, & eadem ferè verba, ut eum Discipulum Ephesitis, & Colossensibus commendaret, Epistolâ utrique inferuerit (q). Epistolam verò ad Colossenses à Paulo exaratam; postquam primùm Romam venerat, certò scimus; ergo & hanc, quam habuit ad Ephesios.

Baronius, Estius, Tillemontius, & alii, vix anno ante mortem, postquam iterum se Romæ restituerat, ad Ephesios missam statuunt (r). Hieronymum etiam in suam sententiam pertrahere student, quod, an Paulus, priusquam Epistolam hanc scriberet, in Hispanias se jam contulisset, ambigere fateatur. Addunt præterea, in hac, sicut in Epistolâ ad Colossenses, Tichyco Onesimum non jungi, neque Timotheum in ejus titulo unâ cum Paulo memorari, ut fit in eadem ad Colossenses, & in cæteris, quas, postquam primò Romam contenderat, Paulus dedit. Hæc eorum argumenta.

Veterum nonnulli (s) Paulum adhuc Ephesum non peragrasse, cum hanc ad

m Ab ann. 61. usq. ad Christ. 63.

n Ephes. 3. 1. & 4. 1. & 6. 20.

o Theodoret. Grot. Prolog. p. Ephes. 6. 19. q. Confer. Ephes. 6. 21. & c. cum Coloss. 4. 7. & c. r. Hier. in Ephes. 3. Vide not. 48. D. Tillemont. in S. Paulum. At idem Hieronymus in cap. 3. v. 1. dicitur asserit, hanc Epistolam Romæ scriptam eo ipso tempore, quo & Paulus scripsit ad Philemonem, ad Colossenses, & ad Philippenes: ad quos utique scripsit, postquam primò Romam pervenerat. s. Vide Theodoret. Prolog. ad Ephes. 1. 15. & Oecumen. Prolog.

a Act. 19. 19.

b Hi 50000. denarii sunt 25000. libra, decem solidis Gallicis, qui communis est denarii Romani valor, in singulos denarios suppunitis.

c Act. 18. 19. 22.

d Act. 18. 24. 25.

e 1. Cor. 3. 5. f Act. 19. 1. & 20.

g Chryf. Prolog. in Ep. ad Ephes.

h Iren. l. 3. c. 3.

i Theodoret. ad Ephes. prolog.

k Rom. 15. 20. 21.

l Act. 19. 24.

Ephesios Epistolam dedit, idque omne, quod de praedicatione, & de eius ad hanc urbem itineribus Acta recensent, nonnulli aliquandiu postquam eandem scripserat, evenisse putarunt. Vincula vero Pauli vel de vinculis aliis ab iis, quibus Rome devinctus fuit, vel spiritali sensu de corporis sui carcere explicarunt [t], juxta illa ejusdem Apostoli verba [u]: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Quae quidem sententia ab omnibus nunc vulgo rejicitur, quamvis aliqua hujus Epistolae loca ei favore videantur, v. g. (x): Propterea ego iudicatus Fidem vestram, quae est in Domino Jesu, & dilectionem in omnes Sanctos, non esse gratias agens pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis; quod utique quammaxime ad illud accedit, quod ad Romanos scripsit (y), cum eos solo nomine noverat. Et alibi (z): Hujus rei gratia, ego Paulus vinculus Christi Jesu, pro vobis Gentibus, si tamen audistis dispensationem gratiae Dei, quae data est mihi in vobis. Sed objectionem hanc diluimus in Commentario.

t Hieronym. in Ephes. 3. initio. u Rom. 7. 24. x Ephes. 1. 15. y Rom. 1. 8. 9. 10. z Ephes. 3. 1. 2. a Tertull. l. 5. contr. Marcion. c. 11. Praterea & de alia Epistola, quam non ad Ephesios praescriptam habemus, Haeretici vero ad Laodiceos. b Tertull. l. 5. cont. Marcion. c. 17. Ecclesia quidem veritate Epistolam illam ad Ephesios habemus. c Basil. Magn. l. 2. advers. Eunom. d Hier. in Ephes. 1. e Exod. 3. 14. f Epiphani. haer. 42. c. 9. p. 310. & 371. 374. g Grot. Proleg. in Ep. ad Ephes. h Usser. ad ann. 64. i Ephes. 1. 1.

inscripta legerentur, & Laodiceis sibi missam ostentarent. Hinc forte Marcion ad Laodiceos datam defendit, & veluti ad eosdem missam allegavit.

Haec sane conjectura & Interpretum ingentium, & quaedam veri speciem praeserunt; quaedam vero in eadem Epistola occurrunt, quae ad Ephesios maxime pertinere videntur. Eos v. g. quamplurimum Magiae deditos scimus; ea propter, Vos, ait Paulus, cum esetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum saeculum mundi hujus, secundum principem potestatis aeris hujus spiritus, qui nunc operatur in filios diffidentia (k). S. Ignatius Martyr Ephesi Fideles (l) per totam hanc Epistolam à Paulo commendatos asserit. Apostolum igitur Ephesios praecipue per eandem alloquutum sentit. Praterea ibi Paulus in effrenem licentiam, quae Ephesum nimium pervalerat, insurgit; (m) turpes & scurriles sermones damnant, monet [n] denique, ut à quorundam Philosophorum sententia caveant, à quibus turpium operum pleraque veluti indifferentia vulgabatur. Ephesus, maximae voluptatis Urbs, Philosophos plurimi faciebat.

k Ephes. 2. 1. Vide etiam c. 1. 21. & c. 5. 11. & c. 6. 12. & Praefat. S. Hieronymi in 1. lib. sui Commentarii in hanc Epistolam. l Ignat. ad Ephes. pag. 24. Vide Coeler. not. ibid. m Ephes. 4. 19. 22. & 5. 3. 4. 5. n Ephes. 5. 5. 6. 7. \* Quidem apud Theodoret. ad Eph. 3. 3. o Chrysof. Proleg. in Ep. ad Ephes. Hier. Proleg. in l. 1. & in l. 3. c. 4. Non vobis molestum sit, si dicitur in obscurioribus immoveatur; causati enim in principio sumus inter omnes Pauli Epistolae hanc vel maxime & verbis & sensibus involutam.

Ante hanc, ad Ephesios alteram à Paulo datam Epistolam olim nonnulli putarunt (\*), quod capite 3. 3. hęc legantur: Quoniam secundum revelationem notam mihi factum est sacramentum, sicut supra scriptum in brevi. Interpretes vero id Apostolum innuisse censent, quod praecedenti capite de eorum ad Fidem vocatione, & de eorum sine Legis operibus justificatione praeseratur.

Patrum & Interpretum testimonio (o) hęc Epistola capti difficilior, & forte omnium S. Pauli difficillima. Praeter magnitudinem, & rerum, de quibus in ea agitur, subtilitatem, stylus utique confusus, phrasis dura, & periodi nimium protrahenda. Praecipua nostrae Fidei mysteria, Redemptio, per mortem Jesu Christi Justificatio, Praedestinatio, Gentium ad Fidem vocatio, & Gentium ab Abrahamæ foedere alienarum cum Judaëis primis Divinarum promissionum haeredibus conjunctio in prioribus tribus Epistolae capitibus fusius ab Apostolo recensentur.

Illic Paulum intendisse credimus, ut non modò Fideles Judaizantes, sed etiam Ethnicos recens ad Fidem tractatos, à sua in Idololatriam, Magiam, curiosas artes, & licentiae flagitia proclivitate adhuc non penitus amotos, increparet. Gnostici illius aetatis haeretici, & Philosophi quidam turpia, adulterio minora, inter indifferentia opera recensentes, impudicitiae flagitiis auctoritatem adjungebant. Tribus ultimis Epistolae Capitibus ad eorum mores componendos regulas Ephesius Paulus praescribit; ad concordiam, pacem, & flagitiorum fugam hortatur; Conjugibus & Uxoribus, Genitoribus & filijs, servis & Dominis, ad vitam optimè instituendam, plurima impertit; pecces denique ab eis postulat, ut, persecutionibus invitis, robor, & Evangelij enunciant di virtutem à Deo consequatur.

# IN EPISTOLAM S. PAULI AD PHILIPPENSES. PROLEGOMENON.

**S** Paulus à Deo in Macedoniam vocatus, anno Chr. 52. Troade navim conscendit, in Samo-thraciam venit, die proximà Neapolim Macedoniam urbem maritimam appulit, & hinc Philippos, Romanorum Coloniã, hujus Macedoniam partis Metropolim profectus, primùm Lydiam purpurariam Deo per Fidem peperit (a). Aliquot post diebus cum ab ancilla quadam per familiarem Caco-dæmonis consuetudinem abditâ revelante, quae suorum dominorum quæstui plurimum conducebat, Pythonem eiecisset, ab eisdem heris apud Magistratus, tamquam novæ Religionis author delatus, post virgarum animadversionem, unâ cum Sila in carcerem conjectus fuit. In noctis vigilia, concussâ repente impetu terræ, atque adificij fundamentis ab imo nutantibus, carceris fores ultro reclusæ, & captivorum vincula sponte contrita sunt. Carceris custos captivos diffusisse ratus, strido in se gladio, mortem sibi intulisset, ni statim Paulo se se prodente, interceptus fuisset: qui illico ab eodem Apostolo fidei mysterijs instructus, unâ cum tota familia baptismo est initiatus. Mane alterius diei à Magistratibus imperatum, ut Paulus & Silas dimitterentur. Paulus verò cum civibus Romanis sic agi indignatus, nonnulli ab ipsis Magistratibus palam dimissam carcere se egressurum asseruit; quibus ad magistratus deprecatur venerunt; atque à carcere educam, ex Urbe secederet, rogarunt: quare Philippis Apostolus Thessalonicam contendit.

Epaphroditus, ubi Romam pervenit, Pauli famulatum se totum impendit (g): quare neque vitæ suæ parcens, in morbum incidit, & diu Romæ immorari coactus est. Paulus verò, ut Philippenses à sollicitudine pro illo liberaret, vix convalescentem remisit, adjectâ Epistolâ, quam modò explanamus. Hęc igitur ad Episcopos & Diaconos Philippenses inscripta est. Episcopi nomine vel hujus Ecclesiae Presbyteros, vel Philipporum vel proximarum Ecclesiarum Episcopos (h) à Paulo designatos credimus. Epistola initio sibi Timotheum jungit [i], quem ad Philippenses se facile missurum postquam suis rebus aliquanto consuluerit, pollicetur (k). Et ipsum se ad eosdem aliquando perreclurum sperat (l), etenim per totam Epistolam à Deo vinculis se eripiendum, & iterum libertate donandum confidit. Seu vitæ seu mortis optionem à Deo datam Apostolo, Chrysofomus opinatur (m). Faciliori stilo, & spiritu tranquilliori hanc præ cæteris Epistolam Apostolus exaravit. Sui amantissimi cordis documenta exhibet singularia, neque gravioribus verbis eos unquam increpat, quo quidem, ait Chrysofomus (n), Philippenses, qui non modò Fidei se dederant, sed etiam pro Christo plura pertulerant (o), praestantissimâ virtute præditi præferuntur. Suorum, Pauli nempe, vinculorum communem secum ut habeant gaudium, hortatur: præclare verò secum agi putaturum, si suo ipse sanguine veluti libationem addere possit sacrificio, quod Philippenses fidem suâ Deo offerrent (p). Sua denique vincula ad Divinæ Gloriæ, & Evangelij incrementum contulisse testatur (q). Pseudo-Apostoli Philippo, sicuti & urbes cæteras, peragrantes, Legem & circumcissionem necessariò ad salutem postulari enunciabant; quare Paulus magno sermonis impetu in eos insurgens, gravissimè increpat, eosdemque quòd solius quæstus spe, & ambitionis pabulo prædicent, si-bique ventrem pro Deo constituent, canes, & nequissimos operarios appellat. Philippenses, ut animis mutuo cohaerant, hortatus, Evodiam, & Syntychem, ac scæminas emeritas, quæ enunciandæ Fidei maximo sibi fuerant adjumento, eorum humanitati quamplurimum commendat.

2 AB. 16. 11. 12. &c. b Philipp. 2. 4. c Ibid. 4. 16. d 2. Cor. 11. 9. e Vide Comment. ad Philipp. 2. 25. f Philipp. 2. 26.

g Philipp. 2. 27. &c. h Vid. Hammond. ad Philipp. 1. p. 210. 211. i Philipp. 2. 19. &c. k Revera duobus post annis Philippus venit, Ann. Christ. 64. Vid. Philipp. 2. 24. l Chrysof. hom. 3. p. 30. m Chrysof. in Philipp. proleg. n In Philipp. Proleg. o Philipp. 1. 29. p Philipp. 2. 17. q Philipp. 1. 12.